



1775, 16.

Pass.

QVAESTIO
IVRIS CONTROVERSI
AN

PROHIBITA SIT DONATIO
A MARITO PER
ALIVM VXORIFACTA

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITERAR. DVISBVRGENS.

SOCIO

IN AVDITORIO IVRIDICO

DIE VIII APRIL. ANNO MDCCCXXV.

DEFENDET

CHRISTIANVS GOTTFRIED BREVER

LIPSIENSIS.

LIPSAE

EX OFFICINA LANGENHEMIA



QUESTIO
IURIS CONTRAVERSIS

PROHIBITA SIT DONATIO

A MARITO UXORI

ALIVM V. G. DONATIONE

LEGITIMIS V. G. DONATIONE

D. CHRISTIANO V. G. DONATIONE

IN ADIUTUM V. G. DONATIONE

CHRISTIANO V. G. DONATIONE

287



AN
PROHIBITA SIT DONATIO
A MARITO PER ALIVM VXORI
FACTA.

§. I.

Liberalitas illa, per quam quid in alterum confertur nullo iure cogente, seu, ad quod conferendum nulla causa requiritur, quae dandi necessitatem habet, duas requirit personas, dantem videlicet atque accipientem. Hinc inter donationes, quae iure non subsistunt, ea erat, quae inter coniuges fiebat. Cum enim aut farre, aut mancipatione, aut usu vxor in mariti manum atque familiam veniret, intercessit vnitatis fictio, vt inter maritum et vxorem donatio fieri non posset, cum vna tantum adesse persona videretur. Et quid amplius ea valisset donatio, cum non sibi acquisiuisset vxor, sed ob in manus conventionem maritus per vxorem acquirens sibi donasset. At cessauit postea haec causa in desuetudinem abeunte in manum conventionem, cur inter maritum atque vxorem inualida esset donatio. Non enim amplius per vxorem acquirebat omnia maritus, sed poterat vxor sua sibi habere recepticia bona. Superuenit tamen nota iuris prohibitio donationum inter coniuges, cuius ratio quaerenda, vt **VLPIANVS** in *L. 1. π. de Donat. int Vir. et Vxor.* allegat: ne mutuato amore iniuicem spoliarentur, aut teste **PAVLO** in *L. 2. π. eod. quia foret euenturum, vt venalitia essent matrimonia*, seu, vt in oratione Imperatoris



peratoris apud *VLPIANVM* in *L. 3. pr. π. expressu: ne concordia pretio conciliari viderentur; neue melior in paupertatem incidet, deterior ditior feret.*

§. II.

Non repeto, quae iam de donationibus his prohibitis dicta sunt ab aliis, inter quos excellit *SCIPIO GENTILIS* libello suo de *Donationibus inter virum et uxorem*. Haud ferret libelli breuitas. Saltem vnicum caput scribendi materiam det. Neque in hoc exponendo ita versabimur, vt adscribamus omnia, quae apud alios passim obuia, sed nostras magis ad disceptandum proponamus meditationes. cum cuiuslibet liberum sit, iudicare, an liti finem dedimus.

§. III.

Scilicet quaesitum est inter veteres: *An marito liceret uxori per alium quidquam donare?* Legis prohibitio facile videbatur in hac specie applicari, cum quod per alium quis faciebat, ipse fecisse videretur. Maritus ergo, qui per alium donabat, ipse donasse censendus erat. Quare in causa illa, quae apud *VLPIANVM* in *L. 3. §. 12. π. de Donat. inter Vir. et Uxor.* tractatur, vbi maritus debitorem iussit uxori soluere ea ipsa decisio paululum immutata oratione proponitur, videlicet: *Nec nouum, aut mirum esse, quod per alium accipias, te accipere.* Iam vero ipsemet *Vlpianus* l. c. §. 13. et *IULIANVS* in *L. 4. π. cod.* speciem referunt, quae nobis controuersa videtur et quidem ob *POMPONII* sententiam *L. 31. §. 7. π. de donat. int. Vir. et Uxor.* quae eruditis videtur esse aliena. Taxari meretur iudicium *LVDOVICI* in *Doctr. π. ad Tit. de donat. inter V. et V. §. 5.* Putarem, inquit, *Vlpiani* et *Iuliani* sententiam praeseredam esse, quia *Pomponii* adsertio subtilitatem sapit. Quasi subtilitas, quae iustum habet fundamentum, causa esse possit, vt propterea sententia reprobanda videatur! Id vix quam dicat, nisi, qui ab omni subtilitate abhorret, nihilque proban-

probandum putat, nisi quod indubitatum est. Sed infra videbimus, an adeo subtilis sit Pomponius, ut eius sententia post habenda. Neque minus mirandum, adeo HEINECCIUM in *Doctr. π. eod. Tit. §. CCXVII.* * inter has leges antinomiam inuenisse cuius causam in dissensu quodam veterum Iureconsultorum inuenit. Sed nec hoc bene. Iam ad rem ipsam.

§. IV.

Scriptit VLPPIANVS in *L. 3. §. 13. π. de Donat. inter V. et Vx.* *Huic sententiae consequens est, quod IULIANVS libro septimo decimo digestorum scripsit, si donaturum mihi, iussero uxori meae dare; ait enim Iulianus, nullius esse momenti, perinde enim habendum, atque si ego acceptam et rem meam factam, uxori meae dedissem, quae sententia vera est.* Maxime in hoc fragmento et verborum et iuris analogiae ratio habenda est. Cum enim et Vlpianus et cuius auctoritatem sequitur Iulianus dicant de donatione inter viuos, videndum, an fragmentum sit intelligendum de sola donaturi intentione, an vero de ipsa donatione. Si donaturum, inquit, iussero. Vox iubendi Iureconsultis tunc videtur adhibenda, quoties ius in personam vel quod nobis persona obligata sit, competit. Differt itaque a *mandandi* vocabulo, quippe solo humanitatis officio mandare continetur. Quare videtur vocabuli donaturum eam habere vim, ex donato daturum, vel quod stipulatio de donando praecesserat vel pactum. Nec impedit, quod nec Iuliani nec Vlpiani aetate pactum civilem obligationem producebat. Nunquam enim naturalem obligationem romani negarunt, saltem actionem et interdum, si strictum ius esset, exceptionem ex eo negabant. Maritus ergo ius illa promissione siue verbis solennibus, siue nuda conuentione facta obtinuerat, et cum in eo essent, ut, quod Iuliani et Vlpiani aetate requirebatur ob legis Cinciae auctoritatem donaret mancipatione interueniente, donaturo huic iussit, ut uxori daret scilicet per mancipationis



actum. Poterat ergo donatarium sibi obligatum iubere, ut donaret, et si dat in uxorem, suum quod habebat ius, liberaliter transferebat, nam mancipatio causam requirebat, sed cum liberalitas illa lege esset prohibita, non poterat non datio esse nullius momenti. Nec aduersantur verba: *atque si ego ACCEPTAM etiam meam factam*: Nam comparat quo ad effectum Iureconsultus ius, quod iam in donaturum obtinuerat, cum iure in ipsam rem, quippe mancipatio civilis tantum ritus erat, qui sequebatur causam praecedentem suam. Quis enim adferat eum, cui alterius liberalis intentio patuerat, quique ex ea nec personam, nec rem tenet obligatam, aequalem esse ei, qui iam nactus est ius in rem vel ad rem.

§. V.

Nec ab ipsa hac iuris ratione altera recedit species, quam IULIANVS tractat in *L. 4. π. de Donat. int. V. et Vx.* Agit de mortis causa donatione per alium uxori facta improbata. Scribit: *Idemque est, et si mortis causa traditurum mihi iusserim uxori tradere: nec reserue, conualuerit donator, an mortuus sit. Neque existimandum est, si dixerimus, valere donationem, non fieri me pauperiorem, quia siue conualuerit donator, conditione tenebor, siue mortuus fuerit, rem quam habiturus eram in bonis meis desinam propter donationem habere.* Non nego, si ex vulgari interpretatione Iulianus intelligendus, absurda tanti Iureconsulti videtur esse opinio. VLP IANVS enim in *L. 8. §. 1. π. eod.* expressè adfirmat: *Inter virum et uxorem mortis causa donationes receptae sunt.* Concludo: si vir uxori valide donat ipse, quidni et per alium id faciat. Qua propter apparet plane aliam debere esse Iuliani sententiam. Non loquitur Iureconsultus de mortis causa donatione ipsa, sed de *traditione rei* ex mortis causa donatione. Docent verba: Si mortis causa *TRADITVRVM* mihi. Hac specie quod *l. 3.* Vlpianus *dare* pronunciauerat, apud Iulianum per *trò tradere* expressum est. Dein
 eodem

eodem verbo utitur: *in ferim*. Necessè ergo est, ut donatio mortis causa iam peracta, scil. pactum illud, per quod mortis causa donabatur, ex quo pacto ius, *quamuis reuocabile*, donatarius obtinuerat, perfectum, qui, cum donator rem tradere vellet, quam titulo mortis causa donatione promiserat, iubet, ut tradat, seu ut tradendo ius, quod donatarius habebat, transferat in uxorem. Et rectè inuolidam hanc fore traditionem, causam habet in liberalitate mariti, qui suum ius in uxorem traditione rei mortis causa donatae liberaliter conferri cupit. Non vero de ipsa donatione mortis causa intelligendum esse hoc caput vel inde patet, quod maritus tunc iubendi facultatem non habuisset, vel quod non dum acquisita donatione, in sola animi intentione testatoris existente pauperior maritus factus non fuisset. Pauperior fiet is, qui in bonis rebusque tam corporalibus quam incorporalibus diminutionem passus est, ut apparet ex Actione *de pauperie*. Non ergo Iulianus loquitur de pacto illo, ut titulo reuocabili, ineundo, sed de traditione donatae rei in uxorem, inito iam cum marito pacto, quo respiciunt postrema verba: rem, quam habiturus eram in bonis meis, desinam, propter donationem habere. Rem enim desuissem habere in bonis, si vel conualuerit donator, quia tunc causa donationis cessabat, vel si mortuus donator, ius quod per mortem obtinueram ex donatione, traditione in uxorem facta ex liberalitate mea desineret. Rectè itaque dici potest, me pauperiorem fieri, hinc hunc actum iure non valere, cum veram donationis a marito uxori factam speciem in se continet.

§. VI.

Quapropter iam concludo. Si maritus experiatur alterum intendere erga se liberalitatem siue donatione inter viuos, siue mortis causa adhuc peragenda, is vero antequam peragatur ipse ius obtineat, rogat illum liberalem, qui animi propositum mutet atque suae potius coniugi donet; alter mutata inten-

❖ ❖ ❖

entione animique proposito cum mariti coniuge celebrat donationem vel inter viuos, vel mortis causa, cum plane hactenus nullum ius habuerat maritus, et ipsius donatoris voluntas adhuc plane libera, ita, vt neque marito, neque vxori donaret valide et licite donare donatorem et valide accipere vxorem, quod ante acquisitionem repudiasset maritus.

§. VII.

Longe vero diuersa est species quam tractat POMPONIVS in *L. 31. §. 1. π. de donat. int. vir. et vxor.* Scribit. *Quod legaturus mihi, aut hereditatis nomine relicturus es, potes rogatus a me, vxori meae relinquere: et non videtur ea esse donatio: quia nihil ex bonis meis deminuitur, in quo maxime maiores donanti succurrisse Proculus ait etc.* Facile patet hic non agi de eo, qui iam ius habet, vt iubere posset, sed rogare saltem poterat, postquam intentionem testatoris liberalem expertus fuerat, qui ne quidem testamentum condiderat, sed adhuc conditurus erat, quod patet ex verbo: *relicturus es.* Et recte adfirmat Pomponius non videri donationem esse, quia nihil ex bonis diminueretur. Non dum enim is, cui testator quid legaturus erat, quidquam imo ne spem illam, quae ante mortem testatoris ex legato venit, acquisuerat, cum testamentum conditum non dum esset, cum rogaret, vt adeo rogando nihil ex bonis diminuat. Incidunt haec cum iis, quae §. VI. diximus. Vbi ergo antinomia, nisi eam in legum argumentis plane diuersis statuamus. Vbi ergo dissensus Iureconsultorum, quem sibi finxit Heinccius. Sic saltem planiora fore puto fragmenta, quorum applicatio nec a foro nostro abhorret.

~~_____~~

Leipzig, Diss., 1775 A17

ULB Halle

003 719 030


3



SB

1775





1775, 16.

P. 385.

QVAESTIO
IVRIS CONTROVERSI
AN
PROHIBITA SIT DONATIO
A MARITO PER
ALIVM VXORI FACTA
QVAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
PRAESIDE
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITERAR. DVISBVRGENS.
SOCIO
IN AVDITORIO IVRIDICO
DIE VIII APRIL. ANNO MDCCCLXXV.
DEFENDET
CHRISTIANVS GOTTFRIED BREVER
LIPSIENSIS.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIA

